V. N. Constantino Hugenio
equiti

Qui comitem ducis solers in classica Pindum,
saevaque militiâ diluis arma levi,
Nassavij vigilans dum spectas assorta lauros,
et tenerum vatem martia signa tenent,
tristis amor longo doluit divortia tractu,
ac calami vanum dextra remisit opus.
nunc agitata novo fervescunt pectora motu,
ut tenui surgit languida flamma noto.
Tu lentum, vir magne, cies, plectrique lacessens
desidiam, circo liberiore trahis.
In plausus hic ardor abit, quos prona saluti
mens sociat; prodit conscia charta notas.
Aspice contextus blandus conamina parci,
quae truncata suo verba tenore fluunt.
urget anhelantem praeceps quae labitur hora,
nec genij semper legibus ire licet.
Te quoque maiores revocant ad publica curae,
et qui rugosus permeat alta labor.
Sic collecta tamen libuit deducere vota,
atque levi sensus sollicitare manu.

Ista verba misere contorta vinculis suis inclusi. nulla fa-
teor lineamenta hic felix genius ducit. Affectus tantum
vestigia chartae impressa vides, quem si verborum tenui-
tate sordidum non rejicis, omni triumpho maius est.
subito incalui, ex conspectu tuo scintillas hauriens. Sed
dum hospitij tui incertus fluctuo, tempus abijt. Tandem
oblatus qui fido indicio dirigeret errantem. utinam,
vacuus colloquio quadrantem indulgeas! multa sunt quae
quae longo tempore collecta servo, in quibus praeter te
nemo mihi aperta futurus sit [illegible]. Vale vir
nobilissime et praecipitata haec sub discessus aciem re-
vocare noli. Middelburgi.

Xmb. 1633

Tuus
Isaacus Gruterus

ACAD. LUGD. BAT.
'S RYKS ARCHIEF
ACAD. LUGD. BAT. BIBL.

62

© Universiteitsbibliotheek Leiden
BPL 2212
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/848a

Nobilissimo Viro
Constantino Hugenio
equiti, Principi a Secre-
tis etc.

© Universiteitsbibliotheek Leiden
BPL 2212
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/848a